



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1758

Titulus X. De Impedimentis Matrimonii in Genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

TITULUS X.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERE.

§. 298.

Impedimenta Matrimonii

Diximus (§. 291.), Matrimonium posse considerari ut contractum naturalem, ut politicum, et Sacramentum. *In quantum ordinatur ad bonum natura, quod est perpetuum speciei, dirigitur a natura inclinante hunc finem; & sic dicitur esse naturalis suscipiendum: in quantum ordinatur ad bonum Ecclesie, subjacet regimini Ecclesiastico 45.).* Potest igitur Matrimonium per leges natura, civitatis & Ecclesie, certis limitibus circumscribi: quos limites intelligimus per *Impedimenta*, de quibus loquimur.

Statuuntur ab Ecclesia quoad vinculum:

§. 299. Ab ipsa natura constituntur aliqua impedimenta e. g. error impotentiae &c. Plura per Moysen constituit DEUS 46.), alique legibus gisla-

45.) S. THOM. lib. 4. contra gent. c. 70.
46.) Levit. XVIII.

De Imped. Matrimonii. 385

gislatores civiles, tum gentiles, tum Christiani 47.). Demum etiam Ecclesia potestatem suam circa Matrimonia Fidelium exercuit, leges civiles autoritate sua & pœnis Ecclesiasticis roborando, novisque ordinationibus honestatem Matrimonii promovendo 48.). Unde ex ipsa perpetua traditione arguimus, hanc potestatem ad Ecclesiam devenisse

Bb non

-
- 47.) Cod. THEODOS. & JUSTIN. tot. tit. de incest. nupt. L. I. C. THEOD. de nuptiis gentilium. L. 5. eod. Cod. ad leg. Jul. de adulter. L. 4. 17. 26. C. de nuptiis. L. 12. §. 1. & 2. L. 14. ff. de rit. nupt. L. un. C. de raptu Virg. Novell. 22. c. 10.
- 48.) In Oriente I. Corinth. VII. 12. seqq. Concilium NEOCÆSAREENSE ann. 314. can. 2. ANCYRAN. eod. ann. can. II. S. BASILIUS epist. I. Canonica ad Amphiloeh. can. 6. 22. 23. 78. Can. Apost. 25. Concil. CHALCED. can. 14. Synod. TRULL. can. 53. 54. 98. In Occidente TERTULLIANUS de Coron. milit. c. 13. Conc. ELIBERIT. can. 15. 16. 17. SIRICIUS Papa epist. ad Himerium c. 4. & 6. qui Canones allegantur in Capitulari AQUISGRAN. ann. 789. can. 50. & 51. alibi 51. & 52. INNOCENTIUS I. epist. 2. ad Victricium c. 12. & epist. 9. ad Probum. Concil. AURELIAN. I. ann. 511. c. 18. Sequentium sæculorum testimonia referre superfedemus.

non illegitima usurpatione, sed jure hæreditario ab ipso Christo. Convenit enim, ut Ecclesia inter suos Fideles ad honestatis regulas illum præcipue contractum exigat, qui plurimis animæ periculis est expositus, simul tamen ad Spiritualem Deum Civitatem amplificandam necessarius, & ideo etiam a Christo ad dignitatem Sacramenti evectus. Sicut igitur, licet Matrimonium sit juris naturalis, & naturæ dictamine regatur, tamen istud per leges positivam Mosaicam, quam aliarum gentium ad finem & officium Reipublicæ politicæ directum fuit: ita etiam cum matrimonium sit simul in Officium religionis, & inter Sacramenta numeretur, decet omnino, ut Ecclesia illud suis legibus dirigat, longe magis, quam alia Sacramenta. Nam e. g. Baptismus est tantummodo Sacramentum: materia autem ejus non dirigitur specialiter in Officium Religionis: e contra contractus, qui est materia Sacramenti Matrimonii, ordinatur in officium Spirituales Civitatis DEI, & ad perpetuitatem Ecclesiæ usque ad fines mundi. Populus enim Fidelium per alia Sacramenta restauratur quidem ad

ad gratiam, non tamen ad immortalitatem: unde propagari & perpetuari debet per generationem & Christianam educationem proles. Optimo igitur jure definivit Concilium TRIDENTINUM 49.), posse Ecclesiam circa nonnulla impedimenta, quæ in Levitico exprimuntur, dispensare, vel plura constituere. Multis quidem Sæculis Ecclesia vix alia impedimenta agnovisse videtur, quam quæ in Levitico, aut Legibus civilibus continentur, quod constat, dum Concilia Sæculi VI. vel aperte se ad Leges referunt 50.): vel ipsa verba Legum recensent 51.): vel prohibitiones Legum solapœnæ Ecclesiasticæ adjectione firmant 52.). Nihilominus propriam autoritatem abunde ostendunt, dum Synodi AGATHENSIS, EPAONENSIS, & AURELIANENSIS decernunt, Matrimonia, quæ a legibus habentur

B b 2 in-

49.) Sess. 24. Can. 3. & 4. de Sacram. matr.

50.) MATISCON. II. c. 18. ann. 585.

51.) AGATHENS. ann. 506. can. 61. EPAON. ann. 517. can. 30. TURONENS. II. ann. 567. can. 21.

52.) Cit. EPAON. can. 32. AURELIAN. III. ann. 538. can. 10.

incesta, non esse solvenda, si ante
Baptismum sint contracta, cum eo
tempore contrahentes non fuerint
subjecti Legibus Ecclesiæ: existimant
igitur Patres horum Concilio-
rum, Leges civiles non attingere ip-
sum vinculum Matrimonii nisi accedente
autoritate Ecclesiæ.

*a Principi-
bus quoad
effectus ci-
viles.*

§. 300. His bene perpensis, circa
potestatem statuendi impedimenta
Matrimonii, censemus, Matrimo-
nium, in quantum ordinatur ad bonum
politicum, subjacere ordina-
tioni Legis civilis: & ideo Principes
infideles posse statuere impedimenta
tam impediencia, quam dirimentia
inter subditos suos infideles, ac etiam
Fideles in ordine ad effectus civiles:
eandem potestatem competere Principibus Christianis, cum
a Matrimonio maxime pendeat perpetuitas
& tranquillitas Reipublicæ, ad quam
conservandam potestas Principis ordinatur:
tales enim Constitutiones, si convenientes
reperiuntur, Ecclesia recipit. A longissimo
tamen tempore, pietatis Christianorum
Principum, eorumque adversus Ecclesiam
reverentia exercitium ponendi impedimenta
dirimentia, soli Ecclesiæ est relictum.

ita

ita ut, etiam si ad effectus civiles possit Matrimonium edictis Principum irritari; in ratione tamen vinculi & Sacramenti, nisi aliter Ecclesia judicaverit, firmum integrumque consistat. Hoc sensu intelligitur decisio Concilii Triburiensis 53.): cum enim Saxonibus & Francis non liceret Matrimonium contrahere cum alienigena 54.); Synodus Matrimonium inter virum Francum & mulierem de Saxonia validum pronuntiat in ratione vinculi & Sacramenti, licet noluerit effectus civiles eidem tribuere, quos negabant leges harum nationum. Similiter Matrimonio insciis parentibus contracto Ordinationes Gallia 55.) valorem denegant, scilicet quoad successionem Filiorum, aliosque effectus civiles: Episcopi tamen & Theologi Gallia firma haec esse Matrimonia in ratione Sacramenti, constanter asserunt 56.): licet politica Regni Dicasteria,

B b 3

ria,

53.) Relata in c. 1. de Sponsalib.

54.) De Saxonibus testatur ADAMUS *Bremensis* lib. 1. Hist. Eccl. c. 5.

55.) Harum collectionem exhibet LAU-
NOIUS Tom. 1. Vol. 2. fol. 1032. seqq.

56.) Vid. JOAN. PONTAS Dictionar. Caf.
Consc.

ria, eorumque Advocati omnino-
dam nullitatem acriter defendant
ex analogia cum impedimento rap-
tus 57.). Quando autem Ecclesia
nonnunquam a Principibus Laicis
petiit suorum decretorum confirma-
tionem, vel promulgationem, ro-
gasse solummodo censetur, ut eo-
rum executio a Principibus impete-
retur, non autem ut autoritas suis
decretis tribueretur 58.). Certe
ipsi Principes Laici, prout ex innu-
meris exemplis constat, causas suas
matrimoniales ad Ecclesiasticum Tri-
bunal detulerunt, eorumque Le-
gati praesentes Concilii Tridentini
decreta de Matrimonio venerunt
sunt,

Consc. V. Matrimonium III. Caf. 10. HEN-
RIC. A S. IGNATIO Ethic. Amor. tom. 3.
lib. 8. part. 2. c. 9. fol. 682. seq.

57.) Vid. La Bibliotheque Canonique par
M. BOUCHEL. tom. 2. V. Mariages. a
fol. 78. CLAUDII ESPENCAËI De Clande-
stinis Matrimoniis Consilium datum ann.
1561. ante Decretum Concilii.

58.) Hic sensus est Concilii MILEVITANI
II. can. 17. qui est can. 102. Codicis Ca-
non. Eccl. Afric. *in qua causa legem Im-
perialem petendam promulgari.* Sic etiam
Concilium MOGUNTINUM ann. 813. in
Præfat. rogat, decreta sua confirmari a
CAROLO M. inter quæ sunt multa de im-
pedimentis Matrimonii.

De Imped. Matrimonii. 391

sunt, quamvis ea non singulorum
menti & postulatis conformia
fuerint.

§. 301. Dum Ecclesiæ tribuimus *Impedi-*
facultatem statuendi impedimenta, *mentis ab*
intelligimus Concilia generalia & *Ecclesia*
Summum Pontificem (59.). Ut enim *universa*
singuli Episcopi statuunt impedimen- *statutis*
ta dirimentia, non admittitur; quia
hoc negotium numeratur inter cau-
sas majores, quæ reservantur Summo
Pontifici, ad conservandam majo-
rem uniformitatem disciplinæ Eccle-
siasticæ. Consuetudine tamen pos-
sunt induci talia impedimenta: vim
enim legis habet inveterata consue-
tudo (60.).

§. 302. Impedimentis Matrimonii *Tenentur*
ab Ecclesia Catholica statutis tenen- *etiam A-*
tur etiam A catholici nostris tempo- *catholici.*
ribus. Sicuti enim per discessum
suum ab Ecclesia non se liberant ab
obligatione aliarum legum, ita ne-
que ab impedimentis Matrimonii.

B b 4 Unde

59.) Aperte contra mentem Concilii Tri-
dentini, potestatem Ecclesiæ per Reges
exerceri, cavillatur LAUNOIVS tom. I.
Vol. 2. de Regia in Matrim. potest. part.
I. art. 4. c. 4.

60.) C. I. de Cognat. Spirit.

Unde adhuc hodie Ecclesia strenue utitur sua potestate circa Matrimonia A catholicorum. Episcopis nostris a Sede Apostolica conceditur singulariter potestas, singulis quinquenniis renovanda, dispensandi cum hæreticis conversis in contractis Matrimoniis etiam in secundo gradu, claro documento, quod Romanus Pontifex A catholicos ligatos censet impedimentis ab Ecclesia statutis. Hinc varia Matrimonia A catholicorum autoritate Episcopi vel Pontificis declarata fuerunt invalida ob interveniens impedimentum Ecclesiasticum. Nolumus mentionem injicere de causis privatorum hominum: sufficiunt exempla toti Germaniæ nota circa personas illustrissimas. Tale fuit Matrimonium Christiani Principis Megapolitani cum Christiana Margaretha Gustroviensi anno 1663. Ernesti Guilielmi Comitis Bentheimensis cum Gertrude a Zelst anno 1678. Alberti Comitis Limburgensis cum Dorothea Maria Comitissa ab Hohenlohe anno 1680. Gustavi Samuelis Leopoldi Ducis Palatino - Bipontini cum Dorothea Veldentina anno 1723. Friderici Chri-

